probationis incursiones ipse nobilem Godefridum [b] comitem de Arnsberch [c] et filium eius bello pulsos ad gratiam sibi venire
1278. compulit presidio illorum, quod Neyhem [44] dicitur, capto bellice et destructo. Idem siquidem Syfridus contra comitem Iuliacensem sicuti antecessores sui frequenter [d] guerras agens [e] pro iuribus ecclesie conservandis, cum in iisdem [f] temporibus ipse comes cum filiis suis et multis nobilibus atque militibus in civi-
1278 mart. 16. tate Aquensi tunc temporis [45] ipsi [g] archiepiscopo confederata fuisset interfectus, idem archiepiscopus oportunum tempus ratus et ex casu inimicorum sumens audaciam comitatum [h] Iuliacensem hostiliter invadens et cuncta devastans opidum Iuliacense valida cinxit obsidione. Quo facto nobiles plurimi de parentela comitis occisi superstites in unum collecti et in dicto oppido se recipientes quodam [i] die (e [k] obsidionis) portis erumpentes hostili acie archiepiscopum bello petunt. Facta igitur belli congressione [l] cruenta ipse archiepiscopus potitus victoria cepit municionem et castrum forte infra septa [m] opidi [n] positum funditus destruxit, quod quidem eiusdem ruine usque in presens attestantur. Cepit insuper ~~castrum~~ opidum Durne [o] [46] et quasi omnia fortalicia et municiones comitatus Iuliacensis paucis exceptis utpote Nydeken [p] atque Hengbach [q]. Et ~~sibi~~ sic in dicto comitatu sibi subiugato omnia pro libito disponens cepit castrum Bedbur [r] et in circuitu circiter 24 fortalicia, quorum alia comminuit [s], alia sibi subiugavit. In quo quidem processu bellorum cives Colonienses pro parte archiepiscopi feruntur fortiter conflixisse. Eodem siquidem tempestate ipse archiepiscopus opidum Tulpetense [t] fortiter commu-

b) nob. Gotfr. nobilem com. 3. c) Arnsbergh 1. Aernsberch 2. Arnsberg 3. d) frequentes 4.4'.4''. e) ag. guerr. 4.4'.4''. f) ita 2, ceteri hiisdem. g) ipso 2. h) et com. Iul. 4.4'.4''. i) quadam 2. k) e f. 2.3. l) aggressione 4.4'.4''. m) scepta 1.2. n) opidi deest 4.4'.4''. o) Duren 1.4'. p) Nydecke 1. Nideke 3. q) Heingbach 1. Heymbach 4'. r) Bedbur 3. s) communivit 3. t) Tzulpetense 1. Tulpetum 3.

44] v. dipl. Godefridi com. Arnsb. dat. in castris prope Nyheim fer. VI. videl. in die b. Agnetis a.d. 1277; ap. Seibertz Urkundenb. I, p. 461.

45] De anno v. Lacomblet Urk. II, p. 415.

46] Dueren; v. dipl. Durensium ap. Lac. Urk. II p. 415.